



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia VWestfaliæ

Schaten, Nicolaus

Nevhvsii, 1690

Reverendissimo Ac Perillustri Domino D. Wilhelmo Libero Baroni De Fvrstenberg, Præposito Monasterensi, Decano Salisburgensi, Canonico Capitulari Paderbornensi, ...

urn:nbn:de:gbv:3:1-367846

REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI

D O M I N O

D. W I L H E L M O
LIBERO BARONI
DE FVRSTENBERG,
PRÆPOSITO MONASTERIENSIS,
DECANO SALISBURGENSIS,
CANONICO CAPITULARI PADERBORNENSIS,
PRÆPOSITO COLLEGIATARUM ECCLESiarum
IN BUSTORFF ET MESCHEDE,
C O N S I L I A R I O I N T I M O C E L S I S S I M O R U M P R I N C I P U M
A R C H I E P I S C O P I S A L I S B U R G E N S I S E T E P I S C O P I M O N A S T E R I E N S I S .

REVERENDISSIMO AC PERILLUSTRI DOMINO

D. IOANNI ADOLPHO
LIBERO BARONI.
DE FVRSTENBERG
ET DOMINO IN ADOLFSBURG,
PRÆPOSITO ECCLESIAE CATHEDRALIS PADERBORNENSIS,
CANONICO CAPITULARI CATHEDRALium ECCLESiarum
HILDESiensis ET MONASTERIENSIS,
PRÆPOSITO ECCLESiarum COLLEGIATARUM
ADS. CRUCEM HILDESII ET VETERIS TEMPLI MONASTERIIL
C O N S I L I A R I O I N T I M O P A D E R B O R N E N S I S .

PERILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO

D. FERDINANDO
LIBERO BARONI
DE FVRSTENBERG
DOMINO IN FURSTENBERG, SCHNELLENBERG,
HERDRINGEN ET WATERLAP,
CUBICULARIO AUREÆ CLAVIS SERENISSIMI COLONIENSIS
ET CONSILIARIO IN DUCATU WESTFALIA
SATRAPÆ IN BILSTEIN, WALDENBURG ET FREDEBERG,
ADVOCATO HÆREDITARIO IN GRAFFSCHÄFT,
ET DOMINO JUDICIIS IN OBÈRENKIRCHEN.



REVERENDISSIMI AC PERILLUSTRES &c.

PERILLUSTRIS AC GENEROSE DOMINE.



I Deo O.M. ita placuisset, & Illustrissimum fratrem ac patruum Vestrum, Celsissimum Principem P. M. Ferdinandum, Episcopum Paderbornensem ac Monasteriensem, ad illud usque tempus in vivis conservasset, quo operi huic meo typographicō ultimam manum imposuisse, nulla mihi deliberatione opus fuisset, cui hoc ipsum Patrono, pro more alijs jam dudum usitato, commendarem; etenim quod ille Historiae hujus potissimum fuisset auctor, quam patriæ & gentis suæ Westfalicæ bono, collegerat, quamque magna sollicitudine, & plurimis impensis per alios literarum Historiarumque amantes eò promoverat, ut lucem aspicere, & eruditorum teri manibus posset; alium, meo quidem judicio, præter se, operi huic patronum præfigi non sustinuerat; mihi certè fas non fuisset, præterito illo, alitm convenire, utpote qui ab eo tempore, quo is ad capessendas Paderbornenses Insulas Neuhusium advenit, eidem Imperij ac literatorum Principi à typis constanter fui: Monumenta illius Paderbornensia (quorum hæc Historia diffusiore explicatio est) primus impressi; aliaque deinde, illo volente ac jubente, magno cùm commodo meo, tūm approbatione illius, tam varia prælo subjeci, ut citra vel ingrativel in urbani animi notam alium præter illum Patronum eligere integrum mihi non fuisset. At nunc meo hoc & literatorum omnium Mœcenate, ingenti doctorum hominum mœrore, è vivis erupto, quos potius operi huic Patrono adsciscam, quam Vos, Reverendissimi ac Perillustres fratres, Perillustris ac Generose Domine, magnorum Præsulū dignissime nepos? Ut enim taceam, quod frequentissime me impuleritis, ut labori non parcerem, sed omni adhibita diligentia curarem, ut quam citissime in lucem ederetur opus hoc tantopere à summis infimisque expetitum; itaque tacite mihi innuere visi fueritis, sub Vestro velle Vos auspicio id ipsum prodire, cuius maturationem tam serio ac frequenter ursissetis; ut, inquam, id taceam, vos præ alijs opus hoc concernit, quod ad Westfalicæ gentis gloriam conscribi evulgarique voluit cùm Illustrissimus frater, tūm patruus Vester, quodque moriturus commisit curæ Vestræ, ut Vobis agentibus non remaneret in tenebris, q̄tiod ille protrahi in lucem tantis semper desiderijs concupierat. Eam nunc voluntatem Principis Vobis sanguinetam propinquisi in memoriam revocaveritis, dubium mihi nullum relinquitur, quin commendatum à me opus libentissimis animis suscepturn sitis. Quanquam quid alienos adduco titulos, ut curam & patrocinium operis mei persuadeam? Amor ille literarum, qui non secus in Vobis, quam in defuncto Celsissimo Principe, ab adolescentiâ ad maturam usque ætatem spectatus fuit, multiplex illa tot annorum decursu maximâ sedulitate comparata eruditio, longa illa inter quam plurima negotia & prudentissimos homines parta experientia, &

quæ

D E D I C A T I O.

quæ alia in Vobis præfulgent eruditissimorum Virorum decora facile animos Vestros inclinabunt, ut hujus tutelam operis suscipiatis; Historiam illud complectitur? & quid in omni Vobis vita acceptius fuit, quam istiusmodi lectione animum ad omnem eruditionem instruere? & Historiam complectitur Westfalicam, in qua primæ hujus gentis origines, gesta cum præcipuis orbis populis (Romanis ac Francis) bella, propugnata invictis animis per plura secula libertas, abjurata Idolorum servitus, suscepta Christi religio, aliaque ad gentis gloriam spectantia, scitu lectuque dignissima, pertractantur; ecquæ vero gratior Vobis Historia offeratur? qui gente Westfali, genere nobiles, familia illustres, originem à majoribus ducitis, de quibus dubium non est, quin primis nobilissimorum Westfalorum vestigijs inhæserint, cum eorum per multi primas saeculares qua Ecclesiasticas dignitates suo merito sint consecuti, (quorum uberior commendatio in subsecuturis Annalium Westfalicorum libris legi poterit) Domesticam itaque historiam videtis, non peregrinam; quæ vel hoc ipso præ alijs exteris perplacebit. Sed quorsum pluribus hæc inculco, cum de propensissimo Vestro in hoc opus animo satis mihi constet? læter potius, eos me nactum patronos, qui id ipsum auctoritate sua ab obtrectantium, si quæ forte occurrerint, linguis defendere suo tempore poterunt. Etenim si S. R. I. Principes excepero, penes quos ex gente nostra Westfalica ea auctoritas major, quam penes Vos in primis, Reverendissimos ac Perillustres fratres? qui multis ad Cæsarem, Principes & Comitia Imperij legationibus clari, S.R.I. Principum, quibus ab intimis consilijs fuistis ac etiamnum estis, familiaritate noti, ac præcipuis qua Cathedralium qua Collegiarum Ecclesiarum dignitatibus illustres inter præcipua Westfalicæ gentis decora eminetis; & te deinde, Perillustris ac Generose Domine, Ferdinandi Fürstenbergice, qui eam feliciter familiam propagas, quæ præter tres S.R.I. Principes, & quam plurimos in Ecclesiasticis dignitatibus constitutos præsules, tot sago togaque inlytos viros produxit, ut nulli dubitare fas sit, quin plurimum semper splendoris natio Westfalica ab illustri tua familia accepit; ut nihil dicam de præclaris tuis tibi proprijs dotibus, ijsque honorum gradibus, in quibus positus, sicut alijs præmines, ita meritissimo jure eam tibi auctoritatem vendicas, quæ abunde pro tuendo hoc opere mihi sufficiat. Fretus itaque tanta auctoritate, & securus de propenso in me studio, opus hoc, unam Historiæ Westfalicæ decadem continens, Vobis, Reverendissimi ac Perillustres fratres, Perillustris ac Generose Domine, Ferdinandi Fürstenbergice, ea submissione offero, quæ obsequentem famulum decet, nihil dubitans, quin benevolis id ipsum manibus accepturi sitis, & sicut impressionem hujus serio ursistis, ita deinceps studium & impensas ad superstites Annalium Westfalicorum edendos libros necessarias sitis collaturi.

REVERENDISSIMARUM AC PERILLUSTRIUM VESTRARUM,

PERILLUSTRIS AC GENEROSÆ DOMINATIONIS TUÆ

Obsequientissimus famulus

Joannes Todt, Typographus.